

Georg Gyse

**CARMEN || DE NATALI || FILII DEI DOMINI || NOSTRI IESV || CHRISTI.|| Scriptum à
|| Georgio Gysen || Ruppinense.||**

Rostock: Dietz, Ludwig (Erben), 1561

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1725170337>

Druck Freier  Zugang






H 24

12, a - 3.

Sm - 1247.



F. 200

1711
CARMEN
DE NATALI
FILII DEI DOMINI
NOSTRI IESU
CHRISTI

Scriptum a
GEORGIO HYNEN

X XVI. 15.



CARMEN

DE NATALI

FILII DEI DOMINI

NOSTRI IESV

CHRISTI.



Scriptum à
GEORGIO GYSEN
Ruppinense.



ROSTOCHI

Ex Officina hæredum Lu-
douici Ditij.

Anno 1561.



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO D.
VLRICO DVCI MEGAPO-
LENSI, PRINCIPI INCLY-
te & uetustæ gentis Henetæ, Suerini,
Rostochij, Stargardie, &c.
Domino suo clementissimo.

QVI benè, subiectum sceptris fœlicibus orbem
Rexerunt, nostro tempore quotq̃ regunt,
Magnanîmi celsò mittuntur ab æthere Reges,
Donatq̃ munifici sunt preciosa Dei.
Nam Deus illustres terrestria numina Reges,
Et simul eximios excitat ipse Duces.
Vtq̃ trahunt superis Heroës sedibus ortum,
Et nisi de Domino subdita regna tenent.
Sic decet à patrijs depellere mœnibus hostes,
Et quo sunt orti, grata referre Deo.
Sicq̃ decet castas cœlestia munera Diuas
Amplecti, doctos atq̃ fouere uiros.
Rex Macedo uiuax quem tollit ad æthera uirtus,
Cuius & æternum gloria nota uiget.
Sic quàm de faustis nomen memorabile bellis,
Tam quoq̃ de Musis nomina clara tenet.
Iulius hunc Princeps & primus origine Cæsar,
Sic studuit magna sedulitate sequi.

Sic An-

Sic Antoninus, sic clarus laude Seuerus,
 Quotq̄ ferunt similes tempora prisca uiros.
 Quamuis heu miseræ uero sine numine Gentes,
 Ignara & summi turba fuere Dei:
 Attamen ingenuas pectus coluere per artes,
 Largè diuitijs quas coluere suis.
 Et ne præteream quos uera Ecclesia Reges
 Antè magistratus est uenerata suos:
 Sic Constantinus construxit & atria Musis,
 In quibus Aoni crederet ordo chori.
 Stant ubi magnificè, stagnantis ad ostia Nili
 Mœnia, Alexandri sumptibus orta Ducis.
 Describèq̄ suo curauit Biblia sumptu,
 Biblia diuino tradita sacra stylo.
 Sic & Bononiæ Theodosius exstruit arces,
 Hospicium Musis ex Helicone sacris.
 Sic quoq̄ Parisijs, Papiæ quoq̄ condis ipsèdem
 Atria, qui Magni Carole nomen habes.
 Nec minus à fuluo cui nomina clara Leone,
 Henricus uoluit consuluisse scholæ.
 Qui Suerinensem donauit Præsule catum
 Inspector studijs esset ut ille sacris.
 His quoq̄ tu similis DVX ILLVSTRISSE, nostram
 Qui renouas magnis sumptibus usq̄ scholam.
 Hucq̄ uocas doctos sancta pietate uerendos,
 Moribus eximios & grauitate uiros.
 Ex quibus ingenuas cum moribus imbibat artes
 Pubes, & sacras sedula discat opes.
 Inter quos clara præstans uirtute Chytraus
 Maxima lux nostræ, fama, decusq̄ scholæ.

Cuiq̄ nouem cingunt Musæ sua tempora lauro
Bocerus, Vatum gloria prima sacrûm.
Innumeriq̄ alij non his uirtute minores,
Quos Præceptorum semper honoro uice.
Formant qui placidis iuuenilia pectora Musis,
Quemlibet & gnaua sedulitate docent.
Ergo cum studijs sis fautor & autor honestis,
Et foueas possis qua pietate scholas,
Accipe, de puero, puerilia carmina, Christo,
Vtq̄ soles placida suscipe quæso manu.
Quaq̄ soles pietate sacras amplectere Musas,
Et fautor studijs sis maneatq̄ pijs.
Sic tibi qui uerbo mortalia cuncta creatit,
Concedat uitæ tempora longa tuæ.
Sicq̄ tibi similes donet uirtute nepotes,
Qui profint simili dexteritate suis.

Illustris: Cels: V.

Addictissimus

*Georgius Gyse
Ruppinensis.*

CARMEN
DE NATALI FILII DEI
domini nostri Iesu Christi.

Dulcia Natalis redierunt tempora Christi,
Solutus qui nostræ iura salutis habet.
Olim qui sanctis promissus patribus Heros
Frangeret ut stygij colla nefanda Ducis,
Atq; sua lapsam repararet morte salutem,
Quam peccans uitæ perdidit Eua suis.
Tartare delusa foret cum fraude Draconis
Ex uetito carpens germine poma sibi,
Illud promissum genitori semen Adamo,
Conteret inferni quod fera colla lupi,
Semine conceptum nullo sed flamine sacro
Hac nunc intacta est nixa puella die.
Ergo agite ex animo Dominum laudemus ouantes,
Induit humani qui modo membra uiri:
Fundite gratifico nascenti carmine Christo
Laudes, hymnisonum concinitote melos.
Ipse suas æther gestit depromere laudes,
Sydera læticiæ dant noua signa suæ.
Luna creatorem rutilo cum Sole potentem
Laudibus, agnoscens, ornat uterq; suum.

A 3

Omniaq;

Omniaq̄; in celso rutilantia corpora cœlo,
Sustollunt unum laudis honore Deum.
Angeliciq̄; chori sublimia templa colentes,
E quibus inferior machina lumen habet,
Laudibus accumulans natum de uirgine Christum,
Atq̄; creatori carmina grata canunt.
Flammiger ad Libycas modo qui descenderat oras,
Ad nos conuerso Sol redit axe suo.
Quas modo monstriferis noctes ptraxerat umbris,
Abbreuiat, clarum protrahit atq̄; diem.
Candida Phœbe sui quæ gaudet lumine fratris,
Fratrī festiuē iungitur orbe nouo.
Et cornuta oculis properat se obuertere nostris,
Qua parte ad fratrem respicit illa suum.
Cætera turba suum monstrat quoq̄; adesse parendum
Dum retroflexo clarior orbe micat. (tem,
Lucida flamminei lætantes turba ministri,
Quicquid & astrigeræ continet aula domus:
In noua uocales dissoluunt carmina linguas,
Et recinunt supero iubila læta Deo.
Laudibus extollunt, meritis hunc laudibus ornant,
Qui Deus ex casta uirgine natus homo est:
Laus sit in excelsis rerum tibi summa potestas,
Gloria sit, uirtus, sit decus atq̄; tibi.

Sint

Sint homini in terris tranquilla gaudia pacis,
Sitz homini socia pulchra quiete salus.
Laudandi tandem Dominum sit prompta uoluntas,
Sint generi humano prospera quæq; canunt.
Taliaq; in caelis non tantum iubila promunt,
Alis sed nitidis terrea regna petunt.
Læticæ causas, homini & sua gaudia narrant,
Et recreant miris pectora pressa modis.
Non quos summa penes regni moderamina sunt
Regibus eximijs gaudia tanta canunt.
Non Auguste tibi uaste qui climata terræ,
Et populos cunctos sub ditione tenes.
Non sæuo Herodi, non Pontifici ordinis ulli,
Sint licet Heroes lumina magna uiri.
Nec tibi, Apostolica qui uis te sede locatum,
Hæc Latio referunt gaudia tanta Papæ:
Sed spretis, miseris, teneros, pastoribus agnos
Qui pascunt, humili conditione uiris.
Gaudia dicta sacris nunquam satis inclyta Musis,
Nec par sit Clarij queis sonus ipse Dei.
Ætherea splendens radianti & luce coruscans,
Nunciat Angelicus turba ministra chorus.
Nam cum tota suos Augusto Cæsare census,
Iudæa antiquo more uetusta daret.

Quilibet

Quilibet atq; suas dicto cum nomine, summo
Induperatori dinumeraret opes.
Coniuge iuncta suo mandanti munera Regi
Ferre, ex Iesseo sanguine nata, cupit.
Conceptum sacro quæ pneumate pignus in aluo
Sustinet, unde fuit nostra futura salus.
Versat iter, Bethlem fido comitata marito
Psalmographi Isaidis mænia clara petit.
Huc ueniens, traberent cum sera crepuscula nos
Vicina subiit tecta uetusta domus, (Etæm,
Tincti cuius erant scabra fuligine postes
Culmina cui rigido cespite tecta patent.
Vndiq; uentorum quæ stabat peruia flatu,
Peruia perpetuis imbribus atq; niue.
Hæc dum tecta subit defessaq; membra relaxat,
Edendi partus adfuit hora noui.
Editur in lucem maturis uiribus infans,
Quem solum pannis sedula mater habet.
Hunc pro mobilibus capiunt præsepia cunis
Rustica, pro lectis stramina dura tegunt.
Nam domus indigenis erat hospitibusq; repleta,
Commodior posset nullus ut esse locus.
Nullus erat qui subsidium sua pondera danti
Adferret, Ioseph quod nisi castus adest.
Non fa

Non famulae, non ulla nurium sibi turba ministrans,
Non quae uel potum uel daret ulla dapes.
Forte sed Angelicae castissima turba cohortes,
Infanti castas supposuere manus.
Hi simul officium praestant simul oscula figunt
Infanti, dominum uoce canuntque suum.
Pastoresque uocant illis qui forte sub oris
Lanigerum pascunt laeta per arua gregem.
Hosce coruscanti circumdant luce repulsis
Nubibus, attonitos talibus atque leuant:
Ponite corde metum fratres, secludite curas
Frigidus et linquat pectora uestra pauor.
Edite festiuo potius noua gaudia plausu,
Gratifica summum tollite laude Deum.
Hac etenim VOBIS est natus nocte redemptor,
En VOBIS natus uirgine Christus adest,
Hic est qui patribus quondam promissus auitis,
Hic tollet populi crimina cuncta sui.
Ite citi, celebris properate ad mania Bethles,
Soluiteque infanti debita uota nouo.
Et ne uana tamen uideamur uerba referre
Praesepi positus carice teclius erit.
Talibus affatur pastores aethereus grex,
Et fiunt dictis pectora certa datis.

B

Vite

*Vitæ igitur cum uerus adest reparator ademptæ,
Nec non collapsi plasmatis una salus,
Et iam uirgineo sumat de corpore carnem,
Dum solis currus corniger Hircus habet:
Quadrifidi hinc merito primordia ducimus anni,
Vnde salus primum nostra profecta fuit.
Non trabeate, feri Martis de mense, Quirine
Anni principium quem canis esse noui.
Tum licet in patulis turgescat frondibus arbor,
Tum uiridante licet gramine prata uirent,
Tum Galerita licet se librans aëre fundit
Carmina, quæis nostro ex pectore cura fugit.
Nec quo nudus Arabs æui primordia sumit,
Cum Leo phæbeos percoquit ore gradus.
Id quamuis flauas producat tempus aristas,
Flaua Ceres quamuis tum sua dona ferat.
Nec quo circumcisa suum Gens tempore ponit
Principium, Libram cum rota solis habet.
Tum quamuis herbas cumulo det terra uirentes,
Et liceat plena carpere poma manu,
Tum licet Autumnus tenero dat palmite fructum,
Et dulci feruent os quæ manus quæ mero:
Ast hinc nostra salus sua quo primordia duxit,
Anni principium est fas statuisse noui.*

Hoc

Hoc duce iam uentis pandemus uela secundis,
Hoc duce susceptum iam gradiemur iter.
Describant alij clarorum facta uirorum,
Grandibus & neclant Martia bella modis,
Me iuuat infantis præconia dicere Christi,
In cuius cunas carmina grata canam.
Ergo Dei soboles & fulgida Patris imago,
Qui satus es pura uirgine uerus homo,
Iusticiæ cupidis fidentibus atq; cateruis,
Sæpius optatæ fert salutis opem.
Atq; tuis (nostro gaudes quia corpore) membris
Auspicio foelix fac nouus annus eat.
Et mihi Christe tuas conanti dicere laudes
Adsis, & sacro membra uigore riges.
Te sine nam torquent grauium me pondera rerum,
Te sine uana mei cæpta laboris erunt.
Ingenium, sine te, uena quod paupere manat,
Non poterit cæpti pondera ferre sui.
Sed te dante potest quosuis perferre labores,
Te duce susceptum continuabit opus.
Ergo sparge meam sacrato flamine mentem,
Et iam susceptæ dirige plectra lyrae.
Ut mea Musa tuas referat sub carmine laudes,
Et referat tibi quæ complacuisse queant.

B 2

Quod

Quod restat petimus placida uos uoce patronos,
Musica queis nostre est gloria nixa scholæ.
Et uos Pieridum socios, artisq; cohortes,
Qui colitis Clario templa dicata Deo:
Attenta nostras captetis ut aure loquelas,
Quas dabit undeno nostra Camæna pede.
Nec dubito (fuerit forsansi carminis error)
Quin nobis ueniam quisq; daturus erit.
Hac spe firmatus susceptos rite labores
Aggredior, ceptis Christe faueto meis.
Personam primo referent mea carmina Christi,
Induit humanæ qui modo carnis opus.
Hinc naturarum causas monstrabo duarum,
Cur Deus ex casta uirgine natus homo est.
Natalisq; suus præstet quæ munera nobis,
Atq; modum quo sint accipienda canam.
Post ea soluentes laudum pia carmina Christo,
Dicemus grates pro bonitate Deo.
Quod nobis rutili misit de cardine cœli
Natum, quem nostras iussit obire uices.
Talibus exactis dicendi imponere finem
Perget & ostiolum claudere Musa suum.
Qui mare, qui terras, & plenum sydere cœlum
Condidit, immenso est unus in orbe Deus.
Mens

MENS AETERNA, sui finisq; & originis expers
VERAX, & ueris consona semper agens.
IUSTA, probis tribuens æqua sua præmia lance,
Et reprobis merito præmia digna suo.
CASTA, probans casto nascentia pectore uota,
Facta sed exhorrens omnia spurca fugit.
CLEMENS, summa preces cuius clementia nunq̃,
Reppulit ex uero corde petentis opem.
LIBERA, quæ proprio coelum terramq; creauit
Arbitrio, uastus quicquid & orbis habet.
ÆTERNUS GENITOR splendensq; parëtis imago
FILIVS, & FLAMEN quod fouet omne sacrũ.
FILIVS effigies æternaq; Patris imago est,
Lumen ab æterno lumine Patris habens.
Nam ceu conceptas format mens nostra figuras,
Et potis est certo reddere uerba sono:
Sic Pater æternus propria se mente reuoluens,
Effigiem format consimilemq; sibi.
Vera Dei soboles quæ digno nomine dicta,
Nec non est apto nomine dicta λόγος.
Quod patris æterni diuinæ mentis ab actu
Gignitur, & uerax Patris imago sui est.
Non quæ subtiles, ut nostra, recedit in auras,
Languida mens postq̃ est motibus usa suis.

Sed quæ firma manet diuinæ mentis imago,
Et uerus uero est cum genitore Deus.
Qui cum Patre fuit cum sæcula nulla fuerunt,
Dispositi seriem temporis ante nouam.
Qui cum Patre, suo & spirante è pectore flatu,
Totius immensum condidit orbis opus.
Sydere qui rutilo clarum distinxit Olympum,
Cui libet & uires iussit inesse suas.
Et posuit certo distinctas ordine stellas,
Quas iussit certis ire redire uijs.
Igniuomo soli uicibus noctemq; diemq;
Mandauit motu ferre referre suo.
Iam propius Libycas calidissima regna sub oras,
Moxq; Lycaonias mandat adire plagas.
Insuper huic calidas flammanti lumine uires,
Cuncta quibus possit nata fouere, dedit.
His simul incedens æterno tramite Phœbus
Vinificat, tellus quicquid & unda tenet.
Soluït brumali constrictam frigore terram,
Cui reddit uires igne calente suas.
Arboribus reddit tenero cum palmite frondes,
Gramineo cultum uestit honore solum.
Semina fertilibus commissa salubria terris
Euocat, & spicis eleuat orta suis.

Et ca.

Et calida Herculei tetigit cum signa Leonis,
Maturat fructus igne calente suos.
Talibus igniferum uariavit uiribus axem,
Iussit & hunc radijs cuncta uiuare suis.
Præterea niueam proprio sine lumine Lunam
Fecit, & huic noctis lubrica frena dedit.
Iussit & humores quocumq; in corpore lentos
Tollere, uel grata multiplicare uice.
Cynthiaus æstifero quodq; ureret aureus igne,
Redderet hoc gelidis uiribus illa suis.
Quid memorem reliquas flammantia lumina stellas,
Quarum Chiliadum millia multa uides?
Quarum nec certus numerus, nec nomina certa,
Nil quibus & totus pulchrius axis habet.
Aëra quid memorem liquidum, quid in aëra pen-
Nitentes uolucres? aligerumq; genus? (nis
Omnia iam nati sunt condita munere uerbi,
Muneris est cuius quicquid ubiq; uides.
Prætereo sensus, hominem mentisq; capacem,
In quo Syderei fulget imago Dei.
Quo non terra iacens mauius, nec dignius ullum
Circumfert animal, pulchrius atq; nihil.
Qui ratione ualens summi simulachra tonantis
Nactus habet, partem mentis et huius habet.
Cætera

Cætera cui subiecta iacent ultroq; ministrant,
Siue tenent terras, aëra siue tenent.
Is uero æthereum natus celebrare parentem,
Huius & est iussus dogmata sacra sequi.
Omnia si spectes tandem, si deniq; uestes,
Queis homo uelatus corpus & ossa tegit.
Munera sunt manuum ualida ui facta suarum,
Vnanimi sensu pectus & ora canent.
Hic λόγος & uerbum concinna uoce uocatur,
Quod satus æterna mente parentis adest.
Mentis namq; actus eiusdem uerba uocantur,
Noticiæq; sibi nomina prolis habent,
Deinde quod hic primus decreta latentia patris
Protulit, euoluens nuncia læta λόγος.
Quodq; ministerium prolati è pectore patris
Verbi conseruat, cœlitus atq; fouet.
Dulcia quodq; suo præstet solatia uerbo,
Ira Dei quorum territa corda facit.
Deniq; quod supera genitorem monstrat in arce,
Dum tales sacrofundit ab ore sonos:
Nemo Patrem nouit, uiuax nisi imago parentis
FILIVS, & quibus hic noscere rite dedit.
Hic λόγος æquæuus uelut est uirtute parenti,
Quo simul hoc mundi nobile fecit opus.

Haud

Haud secus humano generi solatia præstat,
Sic semper membris adfuit usq; suis.
Sic recreat primum promisso semine Adamum,
Seductum uera, fraude, doloq; uia.
Lamechidem medijs tutum sic seruat in undis,
Cum tellus pluuijs mersa periret aquis.
Sic & Thariadæ conuiuia suauia uisit,
Promittens sterili pignora grata Saræ.
Aramidem ignito saluum defendit ab imbre,
Cælica cum Sodomes flamma cremaret æ-
Et sic Isaciden præsens comitatur euntem, (gros.
Custos fidus ero, dux tibi, dixit, ero.
Hoc cum luctatur, ualido & stans robore uincit
Isacides, rediens flumine ab Assirio.
Et simul apprensus manibus compellat & orat,
Se lassum ut uerbo recreet ipse suo.
Appellatq; ipsum mirando nomine Siloh,
Quod castæ fætus uirginis ille foret.
Sumptis ergo uiri tenero cum corpore membris,
Nascitur ex pura uirgine purus homo.
Anni cum septem, totidem quoq; sæcula lapsi, 1707.
Iunctaq; cum quinque sæcula quinque forent.
Virginis, hinc á quo foetum prædixit Iacob,
Innuba quæ nullum senserat ante uirum.
C Suntq;

Suntq; in hoc Domino casta de uirgine nato
Naturæ (mira sed ratione) duæ.
DIVINA, omnigenas quæ res fuit ante creatas,
Cum patre quæ magnum fecit et orbis opus.
Postq; argillosæ fundamina condita terræ,
Adfuit hinc semper patribus usq; pijs :
Atq; HVMANA, leuis casta de uirgine massa,
Quæ simul est miro fœdere iuncta Deo.
Nam ceu diuinæ nostro est in corpore mentis
Portio, cum fragili corpore iuncta simul.
Sic λόγος assumpta mirando fœdere carne,
Est Deus, & fragili corpore uerus homo.
Non tamen ut nostrum post ultima fata cadauer
Soluatur, æthereum mente petente polum.
Sed manet æternum semper durable fœdus,
Vnioq; haud ullo dissoluenda die.
Usq; huc personam puerili carmine dixi,
Humano quamuis uix satis ore queat.
Nunc geminæ restat naturæ dicere causas,
Verus homo Christus cur Deus atq; fuit.
CVM Deus ex nihilo coelum terramq; creasset,
Quicquid et hoc mundi nobile claudit op?
Restat homo dixit, diuinæ mentis imago,
Hic mihi non minimi causa laboris erit.
Restat

Restat opus magno longè pretiosius orbi,
Hoc quoq; formabit dextera nostra refert.
Mox capit argenti massam de corpore terra,
Effigiem cui dat cum ratione suam.
Ante sed Eois hortum plantarat in oris,
Qui grato florum pulcher odore fuit.
Huic mox præfecit sociata coniuge Adamum,
Et iubet hos tanta prosperitate frui.
Arbor at irriguo duplex surgebat in horto,
Hæc fructum uitæ, mortis at illa dabat.
Amissumq; bonum penitus, monstrabat Adamo,
Et mala, quæ in longa posteritate manent.
Cuius ne carpant compresso pollice fructus,
Aut lingua gustent, serius ipse uetat.
Æternas poenas dictisq; minacibus addit,
Quas non seruantem iussa manere refert.
Hoc animaduertens ueterator callidus anguis,
Inuidet humano, pessimus ille, bono.
Blandis atq; sonis muliebria pectora mulcens,
Quin capis ex isto germine poma? refert.
Non est quod Dominus dixit: morieris, ab illa
Arbore si carpes cærea poma tibi.
Nequaquam morieris ait, sed rosida ceu sunt
Atq; alijs longè fulgidiora micant:

C 2

Sic ex

Sic ex his carpens quacumq; comederis hora,
Par superis, sapiens & tibi pectus erit.
Prescia sic reddent tibi corda boniq; maliq;
Dicereq; ut Vates posse futura dabunt.
Foemina mortiferos decerpit credula fœtus,
Et gustanda suo porrigit ipsa uiro,
Quos ubi conspexit tandem Deus, omnia cernens,
Occulti quem nec pectoris acta latent.
Hos merito posita condemnat lege, repente
Et tribuit meritis premia digna suis.
Omnibus hinc breuis est uario discrimine uita,
Hinc omnes Ditis tartara nigra manent.
Hinc morbi, pestes, hinc cuncta pericula uitæ,
Hinc mors in cunctos ius habet atra uiros.
Hinc tua nos omnes Lex ó sententia damnat,
Tu nisi Christe iuues perdita turba sumus.
Tu nisi nos proprio mundares sanguine Christe,
Cuncta cruore lauans crimina nostra tuo,
Illud Adæ uitium penitus nos perderet omnes,
Atq; in tartareas præcipitaret aquas.
Sic ne igitur nocuit, quæras, de germine morsus,
Humanum penitus perdat ut ille genus?
Non equidem morsus fecit, nec germinis usus,
Nec poterat cunctis hic nocuisse uiris.

Sed

Sed quia mens est iusta Deus, quæ iusta requirit,
In cuius uerbis nil leuitatis inest.
Arboris & uetuit nigre decerpere fetus,
His uoluit iussis pondus inesse suis.
Hoc quia mandatum nil curauere parentes,
Spernentes iusti iussa tremenda Dei.
Iudicio damnat Deus hos iustissimus æquo,
Et merito in mortis uincula acerba iacit.
Ne tamen illa Dei prorsus structura periret,
Quam Deus inflarat pectoris igne sui.
Mox docta in triplici statuit consulta senatu,
Plasmatis immenso motus amore sui.
Iustus & in trino consultat numine simplex,
Et magnum stabili mente uolutat opus.
Qua ratione hominem damnosa morte peremptum
Saluet, in amissum restituatq; statum.
Cui sanctam effigiem, bona cui communia secum
Fecerat, æterno non peritura die:
Sed sceleris uoluens ingentem pectore molem,
Iusticiæ normam conspiciensq; suæ.
Immensas iræ iustoq; in pectore flammæ,
Quæ stimulant animum præ grauitate suum.
Esse negat sua quo possit placarier ira,
Esse negat sibi qui debita uisq; ferat.

Quin sibi dilectus collapsus ab æthere natus,
Humanæ fiat debile carnis opus.
Læsaq; profuso placet sua sanguine corda,
Restituens lapsum per sua fata genus.
Ergo Dei Soboles mundiq; salutifer Heros,
Æterni uiuax patris imago sui,
Est nimium nostros miseratus sponte labores,
Tollens humanæ conditionis onus.
Et quia commeruit patrato crimine pœnas,
Factus humo uili corpore uilis homo :
Ipse quoq; in teneræ descendens uirginis aluum,
Debilis in fragili corpore factus homo est.
Ut graue peccati pondus, molemq; leuaret,
Quæ genus humanum Ditis ad arua trahit.
Æterni iustam patris placaret & iram,
Soluens effuso sanguine λιτρα Deo.
Perdita sed fuerat quia factio crimine uita,
Non erat has pœnas sustinuisse satis.
Iusticiæ quin dona simul, uitæq; salutem
Redderet, infernum uinceret atq; ducem.
Quare cum nullus mortali è stirpe creatus,
Humano posset uincere Marte necem,
Nec proprijs lapsam posset reparare salutem
Uribus, & uitæ restituïse reos :

Ipse

*Ipsē Dei natus cœlo delapsus ab alto,
Assumpta noster carne redemptor adest.
Hic solus uerbo mortalia pectora seruat,
Hic Mediatoris munera solus obit.
Hic placare potest iratum rite parentem,
Hic potis est iræ fulmina ferre patris.
Hic potis est ualida diram ui sternere mortem,
Hic ualet amissæ reddere lucis opem,
Nam quoniam primo fabricati tempore mundi,
Lux hominum fuerat primaq; uita λόγος.
Per quem cuncta suas agnoscunt condita uires,
Quo nihil effectum non operante fuit:
Conueniebat idem uestitum corpore uerbum
(Cuius erat primum munere factus homo)
Reddere collapsam uera cum luce salutem,
Et lapsis dulcem ferre salutis opem,
Talia nec decreta Dei si facta fuissent,
Et fieret gnatus carnea massa Dei:
Iam dudum collapsa grauem minitatur ruinam,
Humani generis lubrica massa, foret.
Nec mortalis homo poterat placare tonantem,
Debita nec læso soluere λόγος Deo.
Conatus poterat Sathanæ nec uincere sæuos,
Frangere nec Stygij noxia tela lupi.*

Nec

Nec uirtute hominis poterat mors horrida uincere,
Nec domita poterat uita redire nece.
Sed tu Gnate Dei lucis qui prodix in auris,
Virginis ex casto corpore corpus habens.
Tantus es, iratum ut possis placare parentem,
Utq; reos patri conciliare queas.
Tantus es, ut Sathanam possis frenare superbum,
Ne possit membris noxius esse tuis.
Tu potes infractus rigidam prostertere mortem,
Tu domita uitam reddere morte potes.
Condonare potes cunctis sua crimina lapsis,
Cum placida ueniae mente precantur opem.
Restituisse potes pacatae gaudia mentis,
Et natos summi nos facis esse Dei.
Tu nobis mittis diuini munera flatus,
Languida quo solus pectora nostra regis.
Haeredesq; facis patrium nos Christe bonorum,
Dasq; simul rutili gaudia laeta poli.
O quam felices, quam terq; quaterq; beati,
Tu quorum sacro flamine corda regis.
O nimium quam sunt, & ab omni parte beati,
Haeredes regni quos facis esse tui.
Non his immensi praeferrent gaudia mundi,
Non his praeferrent totius orbis opes.

Quid

Quid prodesse potest etenim mortalibus orbis?

Quid possunt Cræsi ferre salutis opes?

Amittant gratæ si dulcia gaudia uitæ,

Si faciant animæ damna dolenda sua.

Sed quæ propositi restat pars tertia nostri,

Queris quo capias munera tanta modo?

Esse quidem sentis clarissima dona, supremo

Æterno iungi fœdere posse Deo.

Esse quidem sentis dulcissima munera, sancti

Per uitæ tempus pneumatis igne regi.

Quolibet esse uides hoc munus munere maius,

Cum Christo æterno tempore luce frui.

Hunc mihi sed possum qui conciliare fauorem?

Vel qui participes possumus esse rogas?

Vnica sunt, tantum quæ præstât pharmaca munus,

Vnaq; qua sursum scandimus astra uia est.

Non meritis hominum, non emptis fœnore Missis,

Et non inuentis Romule stulte tuis.

Sola fides sed nixa Deo tibi talia præstat,

Munera sola fides poscere tanta potest.

Sola fides miseros Christo nos reddit amicos,

Sola fides charos nos facit esse Deo.

Sola fides lapsos uitio nos liberat omni,

Mortis depellit spicula sola fides.

D

Sola

Sola fides animos peccati pondere pressos,
Seruat, & erectos roborat una fides.
Sola fides uincit Satbanam, mortemq; cruentam,
Sola fides coeli pandere regna potest.
Sola fides gelidis membris cum Spiritus exit,
Læticia æterna corpora nostra beat.
Hac primus genitor socia spe nixus Adamus,
Obtinuit superi gaudia læta poli.
Sceptryger hac filius proles Eueia Sethus
Obtinet hac, eadem gaudia læta, fide.
Hac fretus Noha medijs seruatur in undis,
Vndiq; cum pluuijs terra periret aquis.
Fidentumq; pater, quot sunt, quotq; ante fuerunt,
Thariadesq; potens hac petit astra duce.
Hac ductrice nepos Labani clarus Iacob,
Luclans infractum corpore robur habet.
Firmiter hac nitens radiatus tempora Moses,
Oceani sicco cum pede transit aquas.
Hac tener Isaides nixus secat ore Giganti
Iclæ, Philistæi qui caput hostis erat.
Foemina sic belli Iudæa fit utilis armis,
Dum caput Assyrico dissecat ense Duci.
Deniq; sic omnes hac speq; fideq; iuuamur,
Hac (uelut aligeri) scandimus astra poli.
Quates

Quatenus haud cordis opus est, uel cultus honorq;
Quos propter Christus debeat ista tibi.
Nec quia mente tenes meritum hoc, atq; ore fateris,
Notitiam tantum muneris huius habens.
Hæc siquidem possint quàm munera tanta mereri,
Languida sunt nimium, suntq; minora simul.
Quatenus at sincera fides fiducia cordis
Existit, puro ex pectore fusa, fluens.
Quatenus & fixa est patris bonitate supremi,
Promissa ob nati præstita uirgæ sui.
Propter et hunc credit sibi crimina cuncta remitti,
Propter & hunc pacem læticiamq; dari.
Et tandem constans Domini in bonitate quiescit,
Constanti expectans pectore lucis opem.
Carmines sed satis est nostram cecinisse Thalianam,
Dicendi nunc est meta tenenda mihi.
Nam mihi si infragilis uox, & mihi firmitus esset
Pectus, cum linguis oraq; plura forent.
Non tamen idcirco satis enarrare ualerem,
Quæ nobis præstat munera cuncta Deus.
Quæ nobis Gratis mera ex bonitate ministrat,
Si modo sincera poscimus illa fide.
Quare postremam properabo dicere partem,
Quarepetet dictos nostra Thalia locos.

Personam primo descripsimus ordinis Christi,
Cuius nostra redit munere uera salus.
Nempe quod equalis sit maiestate parenti,
Cum quo condiderit totius orbis opis.
Sitq; patris genitus diuinæ mentis ab actu,
Vnde sibi teneat nomina uera λόγος.
Proximus hinc nostro mansit sub carmine sensus,
Cur nostræ subjicit debile carnis opus.
Scilicet ut duro peccati pondere pressum
Humanum seruet, liberet atq; gemis.
Atq; suum placet miseranda morte parentem,
Ut nobis tribui uita beata queat.
Tandem propositi pars hæc fuit ultima nostri,
Quod sola dentur munera tanta fide.
Hoc quia nunc celebrat gaudens Ecclesia festum,
Quod Deus est sumpto corpore factus ho-
Ut nos æterno patri sociaret amicos,
Voluere nos memori talia mente decet.
Voluere tanta decet, ueroq; ex pectore grates
Fundere munifico tempus in omni Deo.
Quod nobis miseris æterna morte necandis,
(Proh dolor ob factum, se prohibente, nefas)
Miserit Empyreo proprium de cardine natum,
Ut nostræ carnis triste subiret onus.
Et sic

Et sic peccatis Vethæa in tartara lapsos
Redderet, æthereis infereretq; plagis.
Humani sumpsisset enim nisi corporis artus,
Nos omnes stygiæ poena maneret aquæ.
Horrida nec contracta foret uis mortis acerba,
Nec foret inferni uis lacerata lupi.
Iam uero exemit poena nos sanguine Christus,
Neue queat posthac Pluto nocere uetat.
Ergo tibi sit Gnate Dei laus, gloria, uirtus,
Qui ciues rutili nos facis esse poli.
Quiq; facis tecum quo æterna luce fruamur,
Quæ fuit atroci mortis adempta manu.
Atque tuo patri sit honos & gloria, cuius
Munere tu nobis uirgine nate uenis.
Spirituq; sacro cuncto sit gloria in æuo,
A quo conceptus nasceris alme puer.
Da precor ut celebrem grata te mente redemptor,
Et uero grates pectore gratus agam.
Quod nimium nostros miseratus es ipse labores,
Et lætæ pro nobis das preciosa patri.
Te precor infirmis ut semper mentibus adsis,
Et foueas uerbi semina sparsa tui.
Atq; regas adlus sacro flamine nostros,
Ut tibi, quod facimus, rite probetur opus.

F I N I S.

PRECATIO

sumpta ex Vaticinio IACOB

Genesis 49.

NON AVFERETVR SCEPTRVM
DE IVDA, DONEC VE
NIAT SILOH.

GNate Dei effigies æterni uiua parentis,
Æterni uerbum mente satumq; patris:
Indutus nostra qui carne in Virginis aluo,
Humanum accedis, maxime Christe, genus.
Te pius Isacides compellat nomine SILOH,
Quod teneræ es fætus uirginis ipse tener.
Ac uelut in uoluens foetum membrana recentem,
Dum rude sub matris pectore turget onus,
Mollis & ad motus non est durabilis ullos,
Pendet & in Cotylis squalida tota nouis:
Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
Indueras etenim mirando fœdere carnem,
Huic nostræ similem, supplicij q; ream.
Sed prorsus fragilis nos ipsi & sordida pellis,
Materna Chorion labe reumq; sumus.


Atta

Attamen hoc uiuet Chorion, quando induis ipse,
Voce tua sanans atq; cruore lauans.
Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,
Cum discunt uocem pectora nostra Dei.
Ac cætus ideo discentum Christe tueris,
Ut Chorion uerè sit schola casta tuum.
Ah tua tutela precor seruetur fascia SILOH,
Ne queat hanc ullus dilacerare furor.




Attamen hoc nunc oportet, quando indubie id est
Noctua senans atq; cruce lantans.
Sic autem nobis dicitur hoc nunciat dantur;
Cum dicitur nunciam pedem nostrum Dei.
Nec tunc ideo dicitur dicitur dicitur
Nec tunc nunciam in schola casta tunc.
Ab tunc tunc pector servetur, sicut SIOH.
Nec tunc hanc illis dicitur dicitur.

[Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to discern but appear to include:]
Indubie...
Humana...
Te...
Quod...
Mollis...
Sic...
Indubie...
Sed...
Quod...





Suntq; in hoc L
Natura
DIVINA, omni
Cum pa
Postq; argillo
Adfuit
Atq; HVMA
Quæ sit
Nam ceu diu
Portio,
Sic loy& assu
Est De
Non tamen u
Soluitu
Sed manet æt
Vnioq;
Vsq; buc per
Huma
Nunc gemina
Verus
CVM Deu
Quic
Restat homo
Hic m



de uirgine nato
(atione) duæ.
res fuit ante creatas,
num fecit et orbis opus.
ia condita terræ,
patribus usq; pijs :
sta de uirgine massa,
foedere iuncta Deo.
t in corpore mentis
orpore iuncta simul.
lo foedere carne,
li corpore uerus homo.
t ultima fata cadauer
mente petente polum.
r durable foedus,
soluenda die.
i carmine dixi,
ix satis ore queat.
re dicere causas,
tus cur Deus atq; fuit.
ælum terramq; creasset,
mundi nobile claudit op?
e mentis imago,
i causa laboris erit.
Restat